



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. Mariano recluso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

furum. Qua autem ratione exitum suum cognouerit, nobis haudquaquam voluit indicare. Cumque iam omnibus valedixisset, viaticum poposcit. Quo accepto, antiphonam ipse imposuit, ita dicens: Ibunt sancti de virtute in virtutem: videbitur Deus ^{Psal. 83.} deorum in Sion. Absolutaque antiphonae melodia, laetus & summa hilaritate referus, animam reddidit creatori: ut nobis, qui praesentes eramus, aperte liceret intelligere, eum de gloria caelesti & promisso premio usque adeo exultasse.

Alius monachus sub Abbate Bertulpho, nomine Baudacharius, cum tempore vineae deputatus esset vineae custodiendae, ne ea ab auibus & bestiis aliqua iniuria vel detrimento afficeretur: euenit ut triginta fratres eiusdem vineae tuendae causa eo aduenirent. Ille ergo charitate plenus orat, ut illic post laborem fessa membra reficiant, cum nihil aliud haberet, quam parum panis, quem in suos usus secum attulerat. Obiurgante autem eum Praeposito, dicenteque ne quid tale attentaret, quandoquidem panes conficere non posset: ille ait: Larga mecum dapes sunt, quibus possint etiam plures satiari. Praeposito sciscitante, quanam illae sint dapes, respondet anatem sibi a Domino datam. Tum vero Praepositus: Fac, inquit, sicut dixisti. Diuisit itaque anatem triginta fratribus, atque adeo illi exatiati sunt, ut dicerent se nunquam ita cibo expletos fuisse. Auxit enim fides, quod dapibus deerat.

Leopardus quoque monachus alio tempore vineae tuendae deputatus, inuenit vulpeculam botrum vorantem: quam obiurgans, minis intentatis iussit, ne amplius vineam attingeret. Sed cum ille abiisset, furax bestiola redijt ad carpendas uas: quas ubi contra illius prohibitionem gustauit, haerente in ore cibo vetito, extincta est: moxque Leopardus monachus vineam studio circumiens, reperit vulpem mortuam, in ore prohibitos tenentem cibos.

Alio tempore, eodem Leopardo cum Meroueo, cuius supra fecimus mentionem, septa vineae ex Abbatis imperio defendente, arborem securi succiderunt, & ramis sepep densarunt. Cumque arborem totam ramis nudassent, inter se statuerunt humi prostrati Dominum rogare, ut ipse vires suppeditet, quibus possint arboris truncum integrum ad sepep absporrare. Inde ab oratione surgentes, inuocato sanctissimo nomine omnipotentis Dei, truncum corripiunt, & in locum destinatum perferre conantur. Et ecce quem vix multi eo pertrahere potuissent, duo homines fide armati, leuimotu portant. Postea vero multi fratres simul collecti, eundem truncum mouere volentes, leuare nequibant: atque ita omnipotentis virtutem agnouerunt, quam duo illi fratres nulli indicare voluerunt, sed secreto alij alijs patefecerunt. At nos fortassis rodet quispiam & carpet, quod haec inferere hoc loco volumus: sed nos tamen, quae ad Dei gloriam faciunt, silere nequiuimus. Ille vero dijudicet, recipiendane sint, vel reijcienda haec Dei dona, qui talia non abnuit, nec abijcienda sentit, quae fidei canon admittit.

DE S. MARIANO RECLVSO. EX DIVO GREGORIO TVRONENSI, DE GLORIA

Confessorum, cap. 1.



FVIT autem in Termini termino Marianus eremita, cui non erat alter cibus, nisi pompa agrestia: & si ei aliquoties a quibusdam mel delatum fuisset, aut si ipse reperire potuisset in syluis, hoc ei erat cibus. Qui cum plerunque visitaretur a plurimis, quodam tempore a quaerentibus non poterat inueniri. Inuestigantes autem eum viri, qui venerat, deprehenso vestigio, inuenerunt locum, in quo flexo genu aquam hausit a fluuio: & exinde progressi reperiunt eum sub vna arbore malo iacentem mortuum. Unde celebre ferebatur in populo, eum praecipitatum ex arbore, spiritum exhalasse: sed euidenter non est cognitum, quoniam a nullo refertur visum. Tunc viri, qui aduenerant, eleuantes eum, attulerunt ad vicum Euannensem. Quem ablutum, dignisque indutum vestibus, sepeliuerunt in Ecclesia. Festa vero obitus eius per singulos celebrantes annos, atque conuenientes populi, crebro ab infirmitatibus sanabantur.

Quidam autem de vicinis annonas diu infectas aqua, ac germine producto coflatas, facto

Cap. 13.

Anate Baudacharius monachus reficit 30. fratres.

Cap. 14.

Vulpes ex vetito cibo edens, moritur.

Cap. 15.

Truncum ingrem duo fratres facile absporrat

Augusti 19. Vide mira sancti viri abstinencia

Nota consuetudinem abluendi corpora mortuorum.

facto igne super vimina cōtexta coquere parat ad pocula facienda. Accedens autem vnus vicinorum eius, ait: Quid tu, o homo, detineris in opere? An ignoras quòd solennitas est beati Mariani? Qui cum furore respondit: Putas, o tu, qui hæc loqueris, quia homo elisus ex arbore propter compendia gula, angelorum sit relatus confortio, & vt sanctus debeat adorari? Melius est, crede mihi, opus necessarium in domo exercere, quàm talem sanctum excolere. Quod ille audiens, discessit, & cum reliquis ad basilicam sancti abiit, relicto domi vicino in opere laborante. Nec mora flante vento apprehenditur domus incendio, exurit omnis, nec quicquam de substantia restat hominis. Exindè eleuati globi flammaram super hospitola, quæ circumlocata erant, huius hominis aream, sepes, tuguriola vel porcorum, vel pecudum, ac reliqua quæ ad eum pertinebant, flamma percussit, nec quicquã remansit huic misero, quòd non fuerit igni succensum. Quod si euenisse quis fortuito putat, admiretur, quòd nulli vicinorum circumstantium nocuit. Quid nunc agis, o cruda rusticitas, quæ semper in Deum, & eius amicos murmurat, vt tibi exindè damnum acquiras?

Disce ex hoc loco sanctos venerari, & illis non detrahere.

Aliud miraculum.

Alterius autem hominis boues malitia furis abstulerat, qui apprehenso vestigio, & eo inter infusus aqua viarum tramites, ad profundas luti voragine per duto, ad sancti recurrit sepulcrum, fusaque oratione, dum de basilica fuisset, egressus, aduertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boues illos ante se cum caballo ex itinere lassò prosequens adducebat. errauerat enim à via, & quasi amens factus, in illam partem, de qua egressus fuerat, mente turbata redibat. Cognoscit vir ille boues, quos perdiderat, eosque recipiens, hominem absque calumnia redire permittit, quia cognouit hoc sibi per virtutem sancti Mariani prælitum, cum in illa hora repererit perditum, qua eius adiuit plenus fide sepulcrum. Quæ postquam gesta sunt, diligentiore cura confessorem Dei cœpit excolere Bituriga.

DE S. LVDOVICO EPISCOPO TOLOSANO ET CONFESSORE, DIPLOMA IOHANNIS XXII. Pontificis Maximi. Nos capitula margini adiecimus.

Augusti 19
Cap. 1.

Prouer. 3.

Psal. 135.

Cap. 2.
Eccli. 50.

Genus & parentes S. Ludouici.



IOHANNES Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, vniuersis Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis & alijs ecclesiarum rectoribus per vniuersum orbem constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Sol oriens mundo in altissimis Dei, Deus Dei filius, ex paterno vtero ante Luciferum genitus, Deus Verbum, qui rerum in principio fundans terram in sapientia, celos prudentia stabiliiuit: adornado celos sideribus, germinantibus cunctis terram: qui que in fine temporum pro humani generis salute nostram assumendo naturam, textit nube nostræ carnis fragilis semetipsum: nunc hora instante nouissima, illuminando per cuncta respiciens, opus produxit mirabile, charitate gloriæ suæ plenum, bonitatem suam monstrans magnificè, sponsamque suam sanctam matrem Ecclesiam reddens nouitate tam claræ sobolis lætabundam. Nam qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum, cōfessorem eximium, beatum videlicet Ludouicum, puritate candidum, charitate feruida rubicundum, electum ex millibus, produxit nouiter vt exemplar præfulgidum, cunctis fidelibus imitandum, eius vitæ singularis excellentiam signis probrans & prodigijs coruscantibus, crebris miraculis manifestans.

Igitur lætentur cæli & exultet terra, iucundetur pariter totus orbis. Nam qui effulset in templo, dum viueret, in medio nebulæ suæ carnis vt matutina stella ac luna plena solari lumine, velut vt sol refulgens, in sua formosus stola, in virtute multa repentinè ad summa graditur, regalibus dignus aspectibus, vt candens lilium, ac odoris suauissimi rosa rubens. Huic cæli præstant hospitium: cæli ciues vt sibi conformem & comparem, ad suum hunc consortium admittunt in supernis: Christus hunc refecit, idem ipse prandium & conuiuia. Hic felix sanctus ex regali profapia, patre videlicet claræ memoriæ Carolo Rege Sicilia: matre verò, charissima in Christo filia nostra, Maria Sicilia Regina ex Hungaria, originem suam trahens, altum sui generis reculauit sapere